

BOLETIN ECLESIASTICO

"Entered at the Manila Post-Office as second-class matter on June 4, 1923".

P. O. BOX, 147.

ORGANO OFICIAL
INTERDIOCESANO
MENSUAL



EDITADO POR LA
UNIVERSIDAD
DE STO. TOMAS

Diciembre, 1937

Año XV—No. 173

SECCION OFICIAL

Actas de la Santa Sede

ENCICLICA DE S. S. PIO XI SOBRE EL ROSARIO DE LA SMA. VIRGEN MARIA

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

Salutem et Apostolicam Benedictionem

Ingravescentibus malis aetatis huius nostrae non semel Nos, ac nuperrime per Encyclicas Litteras "Divini Redemptoris" (*Acta Ap. Sed.*, 1937, vol. XXIX, p. 65), nullum posse ediximus praeberi remedium, nisi per reditum ad Christum eiusque sanctissima praecepta. Ille siquidem unus "verba vitae aeternae habet" (Cf. Ioann., VI, 69); nec possunt privati homines, neque publica potest societas—eius posthabito Numine ac divina reiecta lege—aliquid extruere, quod pedetemptim non miserrime labatur.

Attamen, quisquis Catholicae Ecclesiae annales intento consideraverit animo, facile is cernere poterit cum quibuslibet

christiani nominis fastis validum Deiparae Virginis patrocinium esse coniunctum. Etenim cum grassantes usque quaque errores inconsutilem ecclesiae vestem dilacerare, universumque catholicum orbem subvertere, conarentur, ad eam patres nostri fidenti animo confugerunt, quae “cunctas haereses sola interemit in universo mundo” (Ex Brev. Rom.); ab eademque parta victoria feliciora tempora reduxit. Cum vero Mahumedana impietas, ingentibus subnixa classibus, magnisque exercitibus suffulta, Europae populis cladem servitutemque minaretur, tum, Summo Pontifice auspice, coelestis Matris tutela instantissime impetrata est; atque adeo fuere profligati hostes, eorumque naves submersae. Ac quemadmodum in publico, ita in privato discrimine cuiusvis aetatis christifideles a Maria suppliciter contenderunt, ut sibi suppetias benignissima occurreret, corporis animique impetratura. Et nunquam profecto potentissimum eius auxilium, ab iis qui pia fidentique prece imploravissent, incasum desideratum est.

Iamvero, nostris hisce temporibus in religiosam civilemque societatem non minora ingruunt pericula. Siquidem, cum a nimium multis negligatur, vel repudietur prorsus summa atque aeterna ratio iubentis ac vetantis Dei, consequens est ut christiani officii conscientia debilitetur, ut fides elanguescat in animis vel funditus restinguatur, ut denique ipsa humanae consortionis fundamenta labefactentur ac miserrime corruant. Idcirco ex una parte videre est civium classes inter se alicubi decertare atrociter, eorum scilicet qui amplis fortune utantur, atque eorum qui cotidiano labore victum sibi suisque comparare debeant. Atque in quibusdam regionibus, ut omnes norunt, res eo usque processit, ut privatum sit ius possidendi deletum, omniaque bona in commune redacta. Ex altera, vero, non desunt homines, qui rei publicae numen se maxime colere atque efferre profiteantur, qui civilem rerum ordinem auctoritatemque firmandam omni ope praedicent, atque adeo infanda, *communistarum* placita penitus esse refellenda sibi sumant; qui tamen—contempto evangelicae sapientiae lumine—ethnicorum errores eorumque ducendae vitae rationem renovare enitantur. Huc accedit vaferima illa ac funestissima eorum secta, qui, ut infitiatores sunt osoresque Dei, aeterni Numinis hostes se iactant; quocumque irrepunt; cuiusvis religionis fidem detrectant ex animisque evellunt; humana denique divinaque iura protestant:

et cum caelestium bonorum spem ludibrio habeant, et ad com-
menticiam praesentis vitae beatitatem, vel per summam iniu-
riam assequendam, alliciant homines, eos per turbas, per cruen-
tas rebelliones, per civilisque conflagrationem belli, ad rerum
omnium dissolutionem temerario ausu compellunt.

Nihilo secius, Venerabiles Fratres, etsi tot tantaque mala
impendent, ac vel maiora in posterum formidamus, non tamen
concidendum animo est, neque de spe fiduciaque remittendum,
quae in Deo unice nititur. Ille siquidem, qui sanabiles fecit
populos ac nationes, (Cf. *Sap.*, I, 14) iis procul dubio non deerit,
quos pretioso suo sanguine redemit; non deerit Ecclesiae
suae. Veruntamen, quod iam principio monuimus, acceptissimam
apud eum deprecatricem ac patronam adhibeamus Beatissimam
Virginem; quandoquidem, ut divi Bernardi verbis utamur,
“sic est voluntas eius (Dei), qui totum nos habere voluit
per Mariam”, (*Serm. in Nativ. B. M. V.*)

In variis vero supplicationibus, quae utiliter Deiparae Vir-
gini admoventur, Mariale Rosarium peculiarem ac praecipuum
obtinere locum nemo est e christifidelibus qui ignoret. Hanc
precandi formulam, quam nonnulli “Psalterium Virginis” vel
“Evangelii christianaeque vitae breviarium” nuncupant, Deces-
sor Noster fel. rec. Leo XIII ita nervose describit magnopere-
que commendat: “admirabile sertum ex angelico praeconio con-
sertum, interiecta oratione dominica, cum meditationis officio
coniunctum, supplicandi genus praestantissimum... et ad im-
mortalis praesertim vitae adeptionem maxime frugiferum”
(*Acta Leonis*, 1898, vol. XVIII, pp. 154, 155). Quod quidem ex
ipsis, quibus haec mystica corona nectitur floribus, luculenter
eruitur. Quaenam etenim aptiores divinioreque preces inveniri
poterunt? Prima profecto illa est, quam ipsemet Redemptor
noster, cum discipuli ab eo petissent: “Doce nos orare”, (Luc.,
XI, 1) suis e labiis edidit; sanctissima haec sane supplicatio,
quae ut Dei gloriae, quantum a nobis est, prospicit, ita omnibus
consulit corporis animique nostri necessitatibus. Ac reverà
quomodo fiat, ut Aeternus Pater sui ipsius Filii rogatus verbis,
non nobis auxilio succurrat?

Altera vero angelica est salutatio, quae a Gabrielis Archan-
geli ac S. Elisabethae praeconio incipit, et in piissimam illam
implorationem desinit, qua nobis nunc et sub extremas horas
operum a Beata Virgine efflagitamus. Quibus quidem precationi-

bus viva voce factis sacrorum accedit mysteriorum contemplatio, qua Iesu Christi eiusque Matris gaudia, dolores, triumphique quasi sub oculos nostros ita referuntur, ut inde angoribus nostris levamentum ac solacium hauriamus; utque nos etiam, sanctissimis eiusmodi exemplis insistentes, ad sempiternae patriae felicitatem, per altioris usque virtutis gradus, conscendere excitemur.

Facilis procul dubio est, Venerabiles Fratres, omnibusque, vel rudibus et indoctis accommodatus hic precandi modus, quem S. Dominicus mirabiliter provexit, non sine Deiparae Virginis instinctu supernoque admonitu; at quam longe a veritatis itinere ii aberrant, qui eum quasi fastidiosam formulam eadem cantilena identidem repetitam, pueris ac mulierculis solummodo demandandam reiciunt. Quam ad rem primo animadvertendum est pietatem, aequae ac amorem, quamvis creberrime subinde eadem verba geminent, non idipsum tamen iterare, sed aliquid perpetuo novum, ex novo videlicet caritatis sensu depromptum. Ac praeterea hoc supplicationis genus utique evangelicam simplicitatem animique demissionem redolet ac postulat; qua sprete, a Divino ipso Redemptore edocemur, haud possibilem nobis esse caelestis Regni adeptionem: "Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum caelorum". (Math., XVIII, 3). Attamen, si elatum superbiae saeculum Mariale Rosarium ludificatur ac respuit, innumera prorsus cohors sanctissimorum hominum, cuiusvis aetatis, cuiusvis condicionis, non modo carissimum habuere, piissimeque recitarunt, sed etiam veluti potentissima arma ad fugandos daemones, ad vitae integritatem conservandam virtutemque alacrius adipiscendam, ad pacem denique conciliandam hominibus, nullo non tempore adhibuerunt. Nec defuere praestantissimi doctrina sapientiaque viri, qui quamvis studiorum curis rerumque vestigationibus distenti, numquam tamen committerent ut vel unus dilaberetur dies, quin, positis genibus ante Deiparae imaginem, eam hoc piissimo more precarentur. Atque hoc ipsum agere reges etiam ac principes, etsi variis districti sollicitudinibus ac laboribus, sollemne habuerunt itaque haec mystica corona non rudium tantum ac pauperum manibus gestatur ac teritur, sed cuiuslibet etiam ordinis civibus honori est.

Ac nolumus heic silentio praetermittere ipsam Sanctissimam Virginem, nostris quoque temporibus, hanc orandi formu-

lam impensissime commendasse, cum in Lapurdensi specu se conspiciendam dedit, ac candidam animo puellam exemplo suo eius recitationem docuit. Cur igitur non omnia speranda nobis sint, si rite, si sancte, ut addecet, hac ratione caelesti Matri supplicemus?

At cupimus, Venerabiles Fratres, ut proximo praesertim Octobri mense id ab omnibus christifidelibus, cum in sacris aedibus, tum in privatis domibus, impensiore religione fiat. Quod quidem hoc anno ea potissimum de causa agatur, ut divini nominis hostes, quotquot sempiternum Numen renuunt ac proterve spernunt, quotquot catholicae fidei debitaque Ecclesiae libertati insidiantur quotquot denique contra divina humanaque iura vecordi nisu rebellantes, ad ruinam atque interitum communitem hominum rapere conantur, praevalida interposita Deiparae Virginis precatione, tandem aliquando prostrati ac poenitentia ducti, sese ad frugem bonam et in Mariae tutelam ac fidem recipiant. Quae teterrimam Albigenis sectam e christianorum finibus propulsavit victrix, ipsamet, supplicibus efflagitata precibus, novos etiam depellat errores, *communistarum* praesertim, qui non una ratione, non uno pravo facinore veteres illos in memoriam redigunt. Utque militum cruce signatorum tempore, una erat Europae populis vox, unaque supplicatio; ita in praesens, per universum terrarum orbem, in urbibus, in oppidis, ac vel in pagis et viculis, collatis animis ac viribus, id a Magna Dei Parente enixe contendatur, ut eiusmodi christiani humanique cultus eversores profligantur; ac fatigatis anxiisque gentibus pax veri nominis elucescat. Quodsi hoc rite ab omnibus, summa fiducia incensaue pietate fiat, fore sperandum est, ut quemadmodum superiore aetate, ita hac nostra, Beata Virgo id a divino Filio suo impetret, ut procellarum fluctus remittant, decidant, conquiescant; utque laudabilem hanc christifidelium precandi contentionem fulgens victoria excipiat ac sequatur.

Ac praeterea Mariale Rosarium non modo ad Dei osos Religionisque inimicos debellandos maximopere valet, sed evangelicas quoque virtutes excitat, fovet, omniumque animis conciliat. Atque imprimis catholicam fidem alit, quae per opportunam sacrorum mysteriorum commentationem facile revirescit, et ad divinitus impertitas veritates mentes erigit. Quod quidem, cum, nostris hisce temporibus, spiritualium rerum fasti-

dium quoddam christianaee doctrinae taedium non paucos vel e christifidelibus occupet, valde esse salutiferum nemo est qui non videat.

Spem vero bonorum immortalium vividiorem reddit, cum Iesu Christi eiusque Matris triumphus, quem in extrema recitationis parte meditamur, caelum nobis apertum demonstret, et ad sempiternam adipiscendam patriam invitet. Quapropter, dum tanta terrenarum rerum cupido mortalium animos incedit, dum cotidie acrius caducas divitias fluxasque voluptates discipiunt homines, ad caelestium rerum thesauros, "quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit" (Matth., XII, 33) utiliter revocantur omnes et ad bona perpetuo mansura.

Quandoquidem vero multorum elanguit ac refrixit caritas, si Redemptoris nostri cruciatus ac mors, si Perdolentis eius Matris angores, ex proposito per Rosarium more, moerenti animo reputentur, cur iidem omnes ad redamandum non inflammentur? Ex qua quidem divina caritate incensior profecto proximorum amor non oriri non potest, si intente consideretur quot labores sit doloresque Christus Dominus perpessus, ut in amisam Dei filiorum hereditatem omnes redintegrarentur.

Vobis igitur, Venerabiles Fratres, cordi sit ut tam frugifera orandi ratio magis in dies magisque propagetur, summo omnibus in pretio sit, omniumque pietatem adaugeat. Satius luculentiusque per vos per eosque, qui concredito gregi pascendo adiutricem vobis dant operam, eius laudes utilitatesque christifidelibus cuiusvis ordinis pateant. Inde vim hauriat adolescens aetas, qua succrescentes pravitatis motus compescat animique candorem tutum intemeratumque servet; id idem repetant senes, suis in trepidis angustisque rebus, requietem, solacium, pacem. Iis vero, qui Catholicae Actioni se dedunt, stimulos adiciat, quibus permoti susceptum apostolatus opus alacrius diligentiusque urgeant; atque aerumnosis omne genus—iis nominatim, qui in extremo mortis agone versantur—levamentum praebeat ac spem acuat sempiternae beatitatis.

Ac peculiari modo patres matresque familias, hac etiam in re, suae soboli exemplo sint; cum praesertim, inclinato iam die, intra domesticos parietes, e laboribus, e negotiis redeunt omnes, tum coram sacratissima caelestis Matris imagine una voce, una fide, unoque animo sacrum Rosarium filiorum circulus, parentibus praeaeuntibus, recitent. Pulcherrima haec quidem est ac

salutifera consuetudo, ex qua procul dubio fieri non potest quin familiaris convictus serena tranquillitate fruatur, ac superna munera impetret. Quamobrem, cum saepissime Nobis novos coniuges contingat coram admittere, eosque paterne affari, Maritalem eius Coronam dilargientes, eam summopere commendamus; eosdemque etiam atque etiam admonemus—Nostro quoque interposito exemplo—ut ne uno quidem die, etsi tot tantisque curis laboribusque pressi, ab iis precibus abstineant.

Hisce de causis, Venerabiles Fratres, opportunum duximus vos ac per vos vestrates omnes, ad piam eiusmodi precationem impense adhortari neque dubitamus vos, commendationi huic Nostrae libenter, ut soletis, respondentes, uberes esse fructus collecturos. At aliud quoque est, quod in praesens, Encyclicas has Litteras exarantes Nos movet; cupimus scilicet ut Nobiscum omnes, quotquot in Christo habemus filios, immortales summae Dei Parenti grates agant ob recuperatam feliciter a Nobis firmiorem valetudinem. Id, ut occasione data iam scripsimus, (Cf. Chirogr. ad Emmum. D. E. Card. Pacelli, *Osservatore Romano*, 5 Sett. 1937, num. 207) Lexoviensis virginis impetrationi, Theresiae nempe ab Infante Iesu, acceptum referimus; at novimus etiam omnia nobis a Deo Optimo Maximo per Deiparae manus impertiri.

Ac postremo, quandoquidem nuperrime, per publicam prelo editam scriptionem, Beatissimae Virgini summa iniuria temerario ausu illata est, contineri non possumus quin, hanc opportunitatem nacti, una cum illius Nationis Episcopis ac populo, quae Mariam "*Reginam Regni Poloniae*" veneratur, et eidem Augustae Reginae, Nostrae quoque pietatis officio, debitam satisfactionem adhibeamus, et universo catholico orbi sacrilegum hoc facinus, quod apud gentem civili urbanitate excultam impune patratum sit, conquerendo indignandoque denuntiemus.

Interea vero, divinarum gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis, Venerabiles Fratres, tum gregi unicuique vestrum concredito, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Romam, die XXIX mensis Septembris, in festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli, anno MDCCCXXXVII, Pontificatus nostri decimo sexto.

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

*Instructio servanda a Tribunalibus Dioecesanis in pertractan-
dis causis de nullitate matrimoniorum*

TITULUS XIII

DE IURIS REMEDII CONTRA SENTENTIAM

CAPUT I

DE QUERELA NULLITATIS

Art. 207—*Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando:*

1.o *Lata est a tribunali absolute incompetenti vel a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1;*

2.o *Lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;*

3.o *Quis nomine alterius egit sine legitimo mandato (can. 1891).*

Art. 208—*Nullitas de qua in art. 207 proponi potest per modum exceptionis in perpetuum, per modum vero actionis coram tribunali quod sententiam tulit intra triginta annos a die publicationis sententiae (can. 1893).*

Art. 209—*Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando:*

1.o *Legitima defuit citatio;*

2.o *Motivis seu rationibus decidendi est destituta;*

3.o *Subscriptionibus caret iure praescriptis;*

4.o *Non refert indicationem anni, mensis, diei et loci quo prolata fuit (can. 1894.)*

Art. 210—*Querela nullitatis in casibus de quibus in art. 209, proponi potest vel una cum appellatione, intra decendium, tribunali superioris instantiae, vel seorsim et unice qua querela intra tres menses a die publicationis sententiae coram tribunali quod sententiam tulit (cfr. can. 1895).*

Art. 211—§ 1. *Querelam nullitatis interponere possunt nedum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae, si iudicio interfuerit, et defensor vinculi.*

§ 2. *Imo, ipsum tribunal potest ex officio sententiam nullam a se latam retrahere et emendare intra terminos ad agendum supra statutos* (can. 1897).

§ 3. Quod si intra statutos terminos nec querela nullitatis interposita fuerit neque sententia emendata, nullitas, quae sanabilis sit, censetur sanata.

§ 4. Si pars vereatur ne collegium, quod sententiam, querela nullitatis impugnata, tulit, praeoccupatum animum habeat et proinde illud suspectum merito existimet, exigere potest ut, in eadem iudicii sede, alii iudices subrogentur (cfr. can. 1896).

CAPUT II

DE APPELLATIONE

Art. 212—§ 1. Pars, quae sententia se gravatam censet, necnon promotor iustitiae, si causae interfuerit, ius habent appellandi, idest, provocandi a tribunali, quod sententiam tulit, ad ad superius tribunal (cfr. can. 1879).

§ 2. Defensor autem vinculi a prima sententia, matrimonii nullitatem declarante, ad superius tribunal provocare tenetur intra legitimum tempus; quod si facere negligat, auctoritate praesidis compellendus est (cfr. can. 1986).

§ 3. Appellatio a vinculi defensore interposita prodest et parti, quae pro matrimonii validitate stat, salvo illi iure proprio appellandi; appellatio e contra a parte interposita vinculi defensorem non relevat ab obligatione appellandi.

Art. 213—In gradu appellationis eodem modo et eadem ratione ac in prima instantia (Tit. II) tribunal constituatur, eodemque modo et ratione (Tit. VII-XIII) procedatur, non omissis citationibus et dubii concordatione.

Art. 214—§ 1. A sententia interlocutoria vel a decreto interlocutorio (Tit. XI) ad superius tribunal appellari potest tunc tantum quando habent vim definitivae (cfr. can. 1880 n. 6).

§ 2. Sententia vel decretum tunc censentur habere vim definitivae, quum gravamen inferant, quod non potest per definitivam sententiam reparari: ut puta si probationes, quae in iudicium ferendum vere influere possunt, sententia vel decretum admittere recusent.

Art. 212—§ 1. Appellatio intra spatium decem dierum facienda est et intra mensem proseguenda ad normam canonum 1881, 1882, 1883, 1884.

§ 2. Si quaestio oriatur de iure appellandi, de ea videat tribunal appellationis.

Art. 216—§ 1. Tum defensor vinculi tum partes possunt, omisso medio, si id expedire iudicent in causis praesertim magni momenti, ad S. R. Rotam, vel, in casu de quo in art. 12, ad tribunal S. Officii appellare.

§ 2. Si appellantium alteruter ad praefata tribunalia Sanctae Sedis provocet, coram tribunalibus istis appellatio exclusive proseguenda est.

§ 3. Ita pariter parti, quae ad tribunal appellationis dioecesanum tempore utili provocavit, ius est petendi ut de sua appellatione videat S. R. Rota, vel, in casu art. 12, tribunal S. Officii, nisi tamen a tribunali appellationis diocesano citationes iam legitime factae fuerint (cfr. art. 85). Itidem dicendum de vinculi defensore.

Art. 217—§ 1. Cum sententiae in causis matrimonialibus numquam transeant in rem iudicatam, causae ipsae retractari poterunt coram tribunali superiori, non exceptis casibus in quibus appellatio defuerit vel deserta aut perempta fuerit.

§ 2. Sed ex duplici sententia conformi in his causis consequitur ut ulterior propositio non debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis (cfr. cann. 1903, 1989).

§ 3. Talia argumenta vel documenta non requiritur ut sint gravissima, multoque minus decretoria, hoc est quae peremptorie exigant contrariam decisionem; eorumque pondus pro causae revisione a tribunali tertiae instantiae aestimandum est, audito vinculi defensore.

Art. 218—§ 1. Causa matrimonialis ab uno tribunali iudicata, ab alio tribunali eiusdem gradus iterum iudicari numquam potest, etiamsi praesto sint nova argumenta vel documenta, sed de ea videre potest iterum *tantummodo* tribunal superioris instantiae, praevia appellatione (Comm. Pont., 16 Iunii 1931).

• § 2. Praefata dispositio ita intelligatur, ut locum habeat si agatur revera de *eadem causa*, hoc est, *propter idem matrimonium et ob idem nullitatis caput*.

Art. 219—§ 1. Si, lite pendente, aliud nullitatis caput afferatur, decernendum est utrum illud admitti debeat iuxta ordinarias normas competentiae; eoque admissio, servantur reliquae regulae pro causae instructione.

§ 2. Si vero novum hoc nullitatis caput afferatur in gradu appellationis, illudque, nemine contradicente, a collegio admittatur, de eodem iudicandum est tamquam in prima instantia.

Art. 220—*Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius coniugibus est, decem diebus a sententiae denunciatione elapsis, novas nuptias contrahendi* (can. 1987).

Art. 221—§ 1. Si post alteram sententiam pro nullitate matrimonii vinculi defensor iudicet, pro sua conscientia, ad tertiam provocare instantiam, ad normam art. 213 agendum est.

§ 2. Vinculi autem defensor ulterioris istius instantiae interpositam appellationem pro sua conscientia prosecui vel deserere potest.

§ 3. In casu autem desertionis, partibus ius est ad novas nuptias convolare, habita notificatione decreti quo collegium statuerit appellationem desertam (cfr. can. 1886), vel peremptam (cfr. cann. 1736, 1737) habendam esse.

Art. 222—§ 1. Si ex authenticis documentis constet, pendente causa et sententia nondum prolata, mortuum esse alterutrum coniugum, acta reponantur in archivio, et ad decisionem ne deveniatur nisi alter coniux aut defuncti heres instent gravibus de causis, ut puta ad prolem forsan ex attentato matrimonio natam legitimandam vel ad hereditatem consequendam (cfr. can. 1972). Hisce in casibus appellationem interponere et prosecui iidem possunt.

§ 2. Vinculi autem defensori, mortuo alterutro vel utroque coniuge, neque officium neque ius est appellationem interponendi vel proseguendi, de qua in can. 1986.

Art. 223—Si alteruter vel uterque coniux post primam vel duplicem conformem sententiam affirmativam pro nullitate, a qua appellatum sit, matrimonium attentaverit, collegii erit decernere, *ex officio* vel instante vinculi defensore, inhibitionem exercitii iuris, ad tramitem can. 1672 § 3, usque ad definitivam sententiam.

TITULUS XIV

**DE HIS QUAE FIERI DEBENT POST DECLARATAM MATRIMONII
NULLITATEM**

Art. 224—Post duplicem sententiam pro nullitate matrimonii partibus denuntiata*m* iuxta praescriptum art. 204 § 1 et intra decem dies a defensore vinculi non appellatam, praeses tenetur eam notificare Ordinario loci, ubi matrimonium celebratum fuit (cfr. cann. 1987, 1988).

Art. 225—§ 1. Ordinarius loci praedicti obligatione adstringitur iniungendi quantocius rectori paroeciae, ubi matrimonii celebratio est paroecialibus registis consignata, ut de sententia nullitatis ac de vetitis fors*an* statutis, ex. gr. in causis impotentiae, in iis faciat mentionem necnon in baptizatorum regesto, si in ea paroecia uterque vel alteruter fuerit baptizatus.

§ 2. Rector autem paroeciae tenetur sententiam nullitatis ac vetita forte statuta statim adnotare in praedictis registis et si uterque vel alteruter coniux alibi baptizatus fuit, parochum vel parochos loci baptismi collati monere de prolata nullitatis sententia, ac de vetitis forte statutis, ut haec in renatorum libro ipsi adnotent, necnon de iis a se peractis certio*rem* quam primum reddere proprium Ordinarium.

TITULUS XV

DE MODO PROCEDENDI IN CASIBUS EXCEPTIS

Art. 226—Quoties agatur de casu excepto ad normam can. 1990, officialis, auditis coniugibus, si comparuerint, et perpensis rebus, videat an de impedimenti existentia seu de nullitatis causa ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constet. De quo si sibi videatur constare, necnon pari certitudine vel alio legitimo modo (Com. Pont., 16 Aprilis 1931, ad I) appareat dispensationem concessam non fuisse, rem Ordinario deferat.

Art. 227—§ 1. Ordinarius, iudicem agens, citatis semper partibus iisque auditis, voto etiam exquisito defensoris vinculi necnon promotoris iustitiae, si iste matrimonium accusaverit vel ipsum Ordinarius audire censuerit, potest iuxta suum prudens iudicium matrimonii nullitatem sententia declarare, rationibus breviter adductis in iure et in facto.

§ 2. Quod si Ordinarius iudicaverit non omnia concurrere quae requiruntur vi canonis 1990, ut de nullitate matrimonii tamquam de casu excepto ipse agere queat, causam remittat ad tribunal dioecesanum, quod per viam ordinariam procedat, ad normam Tituli V et seqq.

Art. 228—Ordinario absente aut impedito, sententia, de qua in articulo praecedenti, datur ab officiali de mandato speciali Ordinarii.

Art. 229—§ 1. Adversus istam Ordinarii aut officialis sententiam, nullitatis matrimonii declaratoriam, defensor vinculi, ad normam can. 1991, idest, si prudenter existimaverit impedimentum non esse certum aut dispensationem super eodem probabiliter intercesisse, provocare tenetur ad tribunal secundae instantiae, cui acta sunt transmittenda, quodque scripto monendum est agi de casu excepto vi can. 1990.

§ 2. Idem ius competit sive promotori iustitiae, si interfuerit, sive parti, quae praefata sententia se gravatam senserit.

Art. 230—Tribunal secundae instantiae definiat, eodem modo ac in art. 227, utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu acta remittat ad tribunal primae instantiae (cfr. can. 1992).

Art. 231—§ 1. Si quis certo tenebatur ad canonicam formam celebrationis matrimonii, et tantum civile matrimonium contraxit, vel coram ministro acatholico matrimonium inivit, aut si apostatae a fide catholica in apostasia civiliter vel ritu alieno se iunxerunt, ad hoc ut constet de horum statu libero, neque iudiciales sollemnitates requiruntur, neque interventus defensoris vinculi: sed hi casus solvendi sunt ab Ordinario ipso, vel a parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem, de qua in can. 1019 sq.

§ 2. Si quod dubium supersit de recensitis conditionibus in § 1, quaestio ordinarii processus tramite definienda est.

TITULUS XVI

DE EXPENSIS IUDICIALIBUS ET DE GRATUITO PATROCINIO AUT EXPENSARUM IUDICIALIUM REDUCTIONE

Art. 232—Partes adigi debent ad aliquid solvendum, titulo expensarum iudicialium, nisi ab hoc onere eximantur ex concessione gratuiti patrocinii (cfr. can. 1908).

Art. 233—Quodlibet tribunal habeat taxarum notulam ac regulam, a Concilio provinciali vel conventu Episcoporum exarata, in qua praefiniatur quid a partibus solvendum sit pro singulis actis iudicialibus et quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus solvenda; quae mercedis mensura pro versionibus et transcriptionibus; pro his examinandis et fide facienda de earum fidelitate; itemque pro exscribendis ex archivio documentis (cfr. can. 1909 § 1).

Art. 234—Curet autem tribunal:

1.o ne expensae iudiciales nimis augeantur ex actis non necessariis aut inutilibus;

2.o ne partes plus aequo graventur peritorum honorariis et expensis, quae a praeside taxanda erunt, iuxta consuetudinem in foro civili habitam pro similibus interventionibus;

3.o ne procuratores et advocati alia emolumenta pro honorariis et expensis a partibus exquirant, nisi quae tabulis in tribunali existentibus probata sunt, ita ut, si pars id postulat, quatenam sint emolumenta solvenda praeses suo decreto definiat.

Art. 235—§ 1. Ut prospiciatur expensis iudicialibus, peritorum honorariis, si peritiae fiat locus, necnon testium indemnitati, praeses decernere potest ut congrua pecunia deponatur in arca tribunalis: quae sane pecunia, lite pendente, si id praesidi videatur, augenda erit.

§ 2. Quamvis haec pecunia ab actore deponi soleat, si tamen altera pars causae interveniat, praesidis erit statuere an et qua mensura depositum etiam ab altera parte faciendum sit.

§ 3. Parti renuenti terminus peremptorius ad pecuniam deponendam praefigi potest.

Art. 236—§ 1. Collegii est statuere in sententia definitiva, utrum expensae ab uno actore, an etiam ab altera parte sint solvendae, quoties causae interfuerit, et solutionis proportionem inter unam alteramque partem praefinire.

§ 2. Habenda est autem ratio paupertatis partis victae ad effectum expensarum compensationis decernendae.

§ 3. *A pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio; sed pars quae se gravatam putat, oppositionem intra decem dies facere potest coram eodem iudice: qui de hac re cognoscere denuo poterit, et taxationem emendare ac moderari (can. 1913 § 1).*

§ 4. *Appellatio a sententia circa causam principalem secumfert appellationem a pronuntiatione circa expensas* (ib. § 2).

Art. 237—§ 1. Actori, si constet de eius vera paupertate necnon de boni iuris fumo, gratuitum patrocinium a collegio concedendum est, advocato a praeside designato. Idque obtinere poterit pars conventa, quoties gravissimis de causis opportunum illud concedere collegium iudicaverit.

§ 2. Si pars non sit omnino pauper, sed impar ordinariis litis expensis ferendis, eorum deminutionem obtinere poterit, advocato tamen semper *ex officio* designato.

Art. 238—§ 1. Qui exemptionem ab expensis iudicialibus vel earum deminutionem assequi vult, praesidi libellum tradere debet, adiunctis documentis, quibus quae sit eius oeconomica conditio perspicue demonstret: simulque probare debet se, in lite agenda, non fœilem neque temerariam causam agere.

§ 2. Praeses exquirat, ante concessionem gratuiti patrocinii vel expensarum deminutionem, votum promotoris iustitiae et vinculi defensoris, ad eosdem transmissis libello et documentis, et, si necessarium ducat, alias notitias etiam secretas percontetur (cfr. can. 1915).

Art. 239—Si concessa exemptione totali vel partiali ab expensis iudicialibus, appareat postea in decursu processus, vel ex actis causae vel ex novis documentis, non adesse assertam paupertatem aut praesumptum bonum ius, collegium, vel *ex officio* vel ad instantiam defensoris vinculi aut promotoris iustitiae, exemptionem vel deminutionem revocare debet.

Art. 240.—§ 1. Advocatus ad gratuitum patrocinium designatus ab hoc explendo munere se subducere nequit, nisi ex causa praesidi probata; secus a praeside congrua poena plecti potest, quam etiam ad suspensionem ab officio collegium producere valet (cfr. can. 1916 § 1).

§ 2. Si autem ad vocatus munus suum debita diligentia non adimpleat, a praeside ad illius observantiam revocabitur, sive *ex officio*, sive ad instantiam defensoris vinculi, aut, si causae intersit, promotoris iustitiae.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 15 Augusti anno 1936.

D. CARD. JORIO, *Praefectus*
F. BRACCI, *Secretarius*.

Diócesis de Filipinas

ARCHIDIOCESIS DE MANILA

UNION MISIONAL DEL CLERO.

Siguiendo las repetidas instancias de N. Smo. Padre el Papa Pio XI, queda establecida en la Archidiócesis de Manila la Asociación piadosa intitulada *Unión Misional del Clero*, que el mismo Smo. Pontífice quiere que se considere como cosa suya. Dicha Asociación, según las instrucciones de la Sta. Sede, debe estar gobernada por un Consejo llamado Diocesano. Con la debida aprobación del Excmo. Sr. Arzobispo de Manila, el Consejo diocesano de esta Archidiócesis queda organizado en la siguiente forma:

Director:

R. P. Julio Vicente, O.P.

Secretario:

R. P. Antonio Garcia, O.P.

Tesorero:

R. P. Emeterio Pinedo, O.S.A.

Otros Miembros:

Muy Ilustre P. José Jovellanos

R. P. José M. Siguión, S.J.

R. P. José Fernandez, C.M.

R. P. José Pamintuan,

R. P. Prudencio David

R. P. Prudencio Aguinaldo.

Naturaleza y fin de la Unión Misional

La Unión Misional del Clero es "La asociación de los Sacerdotes, establecida para ayudar a los Misioneros que trabajan por la conversión de los infieles en las regiones todavía paganas." Dicha asociación, aprobada y enriquecida con favores especiales por la Sta. Sede, depende en absoluto de la S. Congregación de Propaganda Fide. Y venera, como Patrona, a la

Sma. Virgen María, Reina de los Apóstoles, bajo cuya protección singular tienden los socios a la realización de su fin propio.

Para el establecimiento de la Unión Misional del Clero en cada una de las Diócesis, se observará la norma establecida en el Canon 708 del Derecho canónico. Este Canon prescribe lo siguiente: "Las Cofradías solo pueden establecerse mediante un decreto formal de erección; pero, para establecer una Asociación piadosa, basta únicamente la aprobación del Ordinario; la cual obtenida, la Asociación piadosa, sin ser personas morales, se tornan capaces de obtener algunas gracias y, sobre todo, ciertas indulgencias."

La Unión Misional del Clero tiene por objeto propio encender en el pecho de los Sacerdotes el amor por la conversión de los gentiles, para que ellos, a su vez, trabajen por inflamar a todos los corazones cristianos en ese mismo amor a las Misiones católicas, de manera que todos los fieles cooperen a la extensión del Reino de Cristo por todo el mundo. Además, se propone la reducción de los acatólicos a la unidad de la Iglesia, ya que la unión de todos los cristianos es una condición de grande importancia para conseguir la conversión de los infieles.

Téngase en cuenta que esta piadosa Asociación, conocida con el nombre de Unión Misional del Clero, no es una nueva Obra misional con destino a recoger limosnas de los fieles, ni se propone, como fin propio, inmiscuirse en el gobierno y dirección de las Obras llamadas Misionales. Sin embargo, procura también preparar los corazones cristianos, para que estos ayuden, en la medida de sus fuerzas, a todas las Obras misionales.

Medios para realizar este fin.

Los medios principales con que la Unión Misional del Clero tiende a la realización de su objeto son los siguientes:

1o. Las oraciones piadosas dirigidas a Dios N. Señor por el éxito feliz de las Misiones católicas y la realización de su propia obra en favor de las Misiones, que es la conversión de los infieles.

2. El conocimiento de las Misiones y de sus necesidades, de los trabajos apostólicos y del éxito más o menos feliz alcanzado por los Misioneros en los distintos pueblos paganos, así como también de todas aquellas cosas que se refieren directamente a la extensión del Reino de Dios entre los infieles.

3. Las conferencias y reuniones de los socios, que tengan por objeto ilustrarse mutuamente sobre las necesidades de las Misiones y animarse unos a otros a realizar ciertas obras para socorrer esas mismas necesidades. Cada año el M. R. P. Director hablará a cada tanda de clérigos en Sta. Ana durante sus ejercicios espirituales.

4. El fomento de las vocaciones misionales, ya exhortan-

do a los jóvenes a entrar en los seminarios, ya trabajando por que las familias cristianas se esfuercen en ayudar en alguna forma a los Misioneros.

5. La instrucción conveniente de los fieles, ya mediante sermones y conferencias, ya mediante conversaciones privadas y publicación de artículos, acerca de la obra magna de la predicación evangélica entre infieles y acerca de los diversos medios que pueden emplear para acudir al remedio de las necesidades de las Misiones católicas.

6. La ayuda eficaz de los miembros de la Unión Misional a los Directores de las Obras Misionales, para que la actuación de estos alcance con mayor facilidad el fin de cada Obra.

7. El cuidado y diligencia, por parte de los socios, en dar a conocer a todos y promover en todas partes las Obras Misionales, principalmente aquellas que la Sta. Sede reconoce como suyas y ha recomendado, sobre todas las demás, en el "Motu Proprio" *Romanorum Pontificum*, del 3 de Mayo de 1922.

Estas Obras Misionales especiales son: la Obra de la Propagación de la Fe, las Obras auxiliares de la Sta. Infancia y de S. Pedro Apostol para la formación del clero indígena, así como las Colectas anuales en la fiesta de la Epifanía con destino a la redención de los cautivos, o sea para las Misiones de Africa.

8. La celebración de fiestas llamadas misionales, de juntas y congresos, y otros actos semejantes, que tengan por objeto encender e intensificar el amor de los fieles por las Misiones Católicas.

9. Actos privados o comunes, segun aconsejen las circunstancias de tiempo y de lugar, para promover todas aquellas cosas que puedan atraer más facilmente a los hermanos disidentes a la unidad de nuestra Fe católica.

Los Socios

1. Pueden inscribirse en esta Unión Misional del Clero todos los Sacerdotes así del clero regular como del clero secular, sin excluir los clérigos que estan cursando actualmente la sagrada teología.

2. Las inscripciones se enviarán al Secretario del Consejo Diocesano de la Unión Misional del Clero de esta Archidiócesis, R. P. Antonio Garcia, Solana 78, Manila. La inscripción debe venir acompañada de la cuota de P. (1)

3. En virtud de la inscripción, los socios quedan obligados a cumplir los deberes propios de la Unión Misional, y adquieren derecho a las indulgencias, favores y privilegios que la Sta. Sede tiene concedidos a los miembros de la Unión Misional.

Téngase en cuenta que para gozar de estos favores no

(1) La cuota se determinará en la primera sesión del Consejo Diocesano y se avisará oportunamente a los sacerdotes.

basta inscribirse en la Unión Misional del Clero, sino que es necesario tambien cumplir con fidelidad y diligencia todos los deberes que se impusieron al dar su nombre a la Asociación.

4. Los socios pueden ser ordinarios, perpétuos y honorarios:

a) Son socios *ordinarios* los que, además de cumplir los compromisos que impone la Unión Misional del Clero, pagan todos los años la cuota establecida por el Consejo Nacional.

b) Son socios *perpétuos* los que, despues de la observancia fiel de sus deberes, pagan de una vez una contribución mayor que señalará el Consejo Nacional.

c) Son socios *honorarios* Los Excmos. Sres. Obispos y los Emos. Cardenales de la Iglesia Católica, que se hayan adherido a la asociación piadosa de la Unión Misional del Clero.

5. Todos los Sacerdotes que trabajan actualmente en el campo de las Misiones, así como los que se han visto obligados a salir de la Misión por razones de ancianidad, enfermedad u obediencia gozan de todas las gracias y privilegios que han sido concedidas a la Unión Misional del Clero.

El Consejo Diocesano

1. La Unión Misional del Clero, en cada Diócesis, será dirigida por un Consejo Diocesano, compuesto de un Director o Moderador y algunos consejeros, de los cuales uno tendrá el oficio de *Secretario* y otro el de *Tesorero*.

2. Tanto el Director como los Consejeros son nombrados por el Ordinario del lugar, y permanecerán en sus respectivos cargos todo el tiempo que el Ordinario tenga por conveniente.

3. El Consejo Diocesano se cuidará de promover en la Diócesis la Unión Misional del Clero; procurará que todos los Sacerdotes se inscriban en esta piadosa Asociación; y, principalmente, trabajará por que todos los socios, encendidos en amor a las Misiones, tiendan eficazmente a la realización del fin santo de la Asociación.

4. El Consejo Diocesano se reunirá dos veces al año. Además, siempre que, por alguna circunstancia especial, el Director juzgare necesario u oportuno celebrar Consejo.

5. Al principio de cada año, el Director o Moderador, despues, de dar cuenta al Consejo Diocesano, envará al Consejo Nacional, para ser aprobada, una relación de los ingresos y gastos y de todas las actividades realizadas, juntamente con la lista de los nuevos socios.

6. El Secretario levantará acta, en un libro abierto al efecto, de las reuniones del Consejo y de los asuntos tratados en él, así como de todas las cosas notables que se relacionen con la Unión Misional en la Diócesis.

7. El oficio del Tesorero, que dependerá en todo del Di-

rector consiste en cobrar las cuotas que cada socio debe pagar anualmente, administrar con fidelidad el dinero y dar cuenta de todo cada año al Consejo Diocesano.

8. El Consejo Diocesano se establecerá en el lugar que determinare el Director, de acuerdo con el Ordinario.

Flavores espirituales.

1. Indulgencia plenaria, siempre que concurren las condiciones acostumbradas, en las festividades: de la Epifanía; b) de los SS. Apóstoles; c) de S. Miguel Arcangel; d) de S. Francisco Javier; e) una vez al mes, el día elegido por el socio; f) in articulo mortis, servatis servandis.

2. La facultad de bendecir e imponer, observando los ritos prescritos por la Iglesia, los escapularios de la Pasión de N. S. Jesucristo, de la Inmaculada Concepción de Ntra. Señora, de la Sma. Trinidad, de la Dolorosa, de la Virgen del Carmen, con tal que esten aprobados por la Iglesia. Esta facultad exige, como condición necesaria, que el socio esté aprobado para oír confesiones.

3. Cien días de indulgencias por cualquier acto de piedad que el socio realice en favor de las Misiones.

